

## PRAEFATIO.

cuius, obscuritatis. Non defuerunt huc  
vsque, quibus me potissimum in philoso-  
phicis audire placuit, eruditis per expe-  
rientiam declarantes, et olim declaraturi,  
satis a se perspecta, satis distincte cognita,  
quae vel cum iis coram egeram, vel in car-  
tam conieceram. Quam diu viuos eiusmodi  
testes citare licuit et licebit, non habeo,  
cur poeniteat istius regulae, quam mihi  
sequendam constitui, ex quo non discere  
solum, sed et discentes iuuare iussus sum:  
*Ita moderare, quicquid expones, vt ingenium  
mediocriter felix, doctrinis illi, quam profers,  
iure praemittendis mediocriter imbutum, in ea-  
dem, quam tractas, hauienda mediocriter  
diligens, mentem tuam clare possit et perspicue  
cognoscere.* Ad hanc legem exigens, quic-  
quid **TIBI** sum expositurus, nec noua capto,  
quia sunt recentia, nec antiqua sperno,  
quia videntur obsoleta. Quicquid in rem  
meam audiui, vel legi, meditatus sum et  
meum feci, sed ita tamen, vti inter bonos  
bene agi conuenit. Suum cuique nunc  
publice sine vindicatione restituo, **TIBI** so-  
lum et mihi ius vsuum cum iure fructuum  
legitime translatum seruans. Inprimis  
plurimum promotam cognitionem meam  
earum veritatum, quas hoc qualicumque  
libello **TECVM** communico, cogitationi-  
bus, quas illustribus celeberrimisque me-  
taphy.